

ut timeas Dominum Deum tuum et ambules omnes vias eius et diligas eum et servias Domino Deo tuo ex toto corde tuo et ex tota anima tua. Custodi precepta Domini, praecepta Domini Dei tui et iustitias eius, quas ego mandavi tibi.' Haec me suggerentem frequentius non spernat pietas tua, ante oculos habens Domini in evangelio verba: 'Qui audit vos, me audit, et qui vos spernit, me spernit, et qui me spernit, spernit eum qui me misit.' Nam et apostolus concinnens salvatori nostro ita loquitur: 'Quapropter qui haec spernit, non hominem spernit, sed Deum, qui dedit spiritum suum sanctum in nobis.' Pectus clementiae vestrae sacramentum est publice felicitatis, ut per instantiam vestram, quem velud vicarium presidere iussit in terris, evangelicis apostolicisque preceptis non dura superbia resistatur, sed per oboedientiam, quae sunt salutifera, compleantur.

His¹ ita prelibatis petimus nos humillimi servi et fidelissimi oratores vestri, ut et vos, quem Deus omnipotens non minus ea, quae ad cultum religionis suae pertinent, intellegere amare et diligere docuit, nobis indignis apostolica^a vice fungentibus pro amore omnipotentis Dei et sanctae suae ecclesiae Christi filii sui redemptae^b sanguine in his, quae ad honorem et exaltationem sanctae matris vestrae ecclesiae congruunt, devotissimus adiutor esse digneris nobisque fidelibus tuis pro amore et reverentia sanctae, ut diximus, matris vestrae ecclesiae ad peragendum iniunctum ministerium tempus concedere dignemini nosque a tam inconvenientibus nostro ordini passim et ubique dispersis liberiores efficere dignamini, ne pro nobis, quod non optamus, aliqua vobis dampnatio aut regni vestri dehonestatio contingat, et quod in nostro neglegitur ministerio, divina in vos retorqueat ultio; quia nihil nunc inter sacerdotalem et vulgaris populi conversationem distare videtur. 'Hinc² est, quod nec precipuis festivitatibus et solemnitatibus anni nec saltim diebus quadragesime observationis^c, qui saluti et paenitentiae consecrati sunt et magna devotione transigi debent, in quibus specialiter circa animarum procuracionem^d propensius et adtentius invigilare debemus, in propriis non mere-

^a) apostolice *Hs.* ^b) redempta *Hs.* ^c) observationes *Hs.* ^d) procuracionum *Hs.*

¹) *Das Folgende ist nicht mehr Zitat aus der Dekretale Anastasius' II.*
²) *Das Folgende ist übernommen aus einem Brief des Paulinus von Aquileja, MG. Ep. 4, 526 Z. 24—30.*